Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.

Promotiones Philos. Ordinis.

1652.

Luszewski Alexandri: Rosetum academicum.

ROSETVM ACADEMICVM,

é XII FLOSCVLIS

In cultissimo Musarum viridario sub verni temporis amænitatem pullulantibus,

&

Per Excellentissimum atq; Doctissimum D.

M. FLORIANVM LEPIECKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Coll: Minorem.

Publicè, ritu solenni, in frequentissima nobilissimorum Hospitum corona,

Primâ in artibus & Phil: Laureâ adornatis

PLANTATVM.

Et ab ALEXANDRO LVCZEWSKI ROXOLANO eiusdem Laureæ Candidato, è Palæstra Cinersciana luci publicæ monstratum.

CRACOVIÆ,
Apud Valerianum Piatkowski, Anno D. 1652.

In Stemma Domus ROLINSCIANÆ.



Florida Pierium plantans mea Musa Rosetum;
Quæsiit vnde suis pingeret ora Rosis.
Pæstani sed enim deerant pigmenta coloris
Inq; rosis gelidus non nisi pallor erat.
Forte ROLINSCIANI viridaria, Stẽmatis intrans
Erubuit pulchram mox verecunda Rosam,
Atque ait, ô Rosei salue mihi purpura floris
Pinge meas igitur purpura pinge Rosas.
Namq; Rosas inter Tuus hic quoque Flosculus extat
Ille cupis quis sit nosse ROLINSCIADES.

Clarissimo atq; Doctissimo Domino,

D. FRANCISCO ROLINSKI,

Phil: & Medicinæ Doctori ac Professori Consuli Cracouiensi.

Domino & Patrono suo fauentissimo.

NON poterant melius cultissima Academici Roseti ornamenta, vernantibus præcincta laureis, quam in cultissimo & laureato sinu Tuo Clarissime ac Doctiss: D. collocari. Cum enim Musa mea Roseti nomine, ita disponte arbitrio insigniri voluisset, quis mihi iure non succenseret? quis peregrinum me inter Viridarij Academici delicias non fateretur? si rosas meas tenerrimo pudore suffusas & suis vix dum sedibus erumpentes, non cum Rosâ Stemmatis Tui maturæ pulchritudinis decore venustissima, splendoris & Patrocinij nomine sociarem. Et sociaui ego quidem, atq; à fragrantiâ Rosæ Tuæ suauissimos Poemati nostro vt mutuare possem odores, in conspectu Tuo etiam paulò audacius non erubui comparere. Inuitabat me quippè magna illa & incredibilis ergâ omnes humanitas, quàm etiam in Stemmate Tuo profiteris, dum à flore Tuo procul pungentes spinas, procul omnem acrimoniam repulisti, paratissimus in Roseo pectoris Tui hortulo confugientibus ad Te quietissimam assignare stationem. Nec verò tantæ humanitatis aliud in Te principium, alia origo est, quam animus ille Tuus omni scientiarũ genere instructissimus, qui cum intelligat, odoris gratiam nisi plurimos recreet non adeò commendari; ipse vt omnibus placeat, humanissimæ facilitatis fragrãtiâ omnibus innotescit. Hic est ille Tuus animus virtutum & eruditionis feracissimus, quem Tu olim cum in tántam altitudinem non dum excreuerat, postquã Cracouiensi primũ, Patauinæ deinde Palladi tradidisses educandum, mox ab vtrâq; Laureatum, ab vtrâq; frequentius repetitis elogijs illustrem Hypocraticâ arte felicissimum vsui publico totum ex asse consecrasti.

Hic

Hic est ille Tuus animus. quem Alma hæc Vniuersitas in Cathedrâ doctißimum æquè ac facundißimum, in deliberando consultißimum, in propagando Literarij Senatus honore acerrimum, vbiq; amantißimum boni publici Ciuem recognoscit. Hic est deniq; ille Tuus animus, quē Vrbs hæc Inclita, cùm semper veluti quoddam Politici status speculum veneretur, ad eum in grauißimis quibusq; negotijs, vt & nunc, tanquā ad absolutæ oraculum prudentiæ confugere solet. Quanquam longius me à Rosâ Tuâ, virtutum & sapientiæ Tuæ abripuit veneratio, cui cū rudis iste calamus non sufficiat, satius est eum pudore suffundi, quam ea quæ omnium oculis & animis nota sunt, tenuißimæ Viribus Eloquentiæ attentare. Hæc mihi cura maxima, hæc desiderij summa est, Roseto hoc zephyros Tui conciliare fauorū, cuius in vestibulo prima Tibi Rosa occurret, atq; mirificè serium illum animum Tuum oblectabit, V. D. IOANNES ROLINSKI Filius Tuus dulcißimus, Concandidatus meus, qui vt Tibi vnicus est atq; charißimus, ita spero, tanto nobis prælude nte flosculo, cæteras quoq; Rosas gratißimum oculis Tuis spectaculum allaturas. Patere itaq; Vir Clarißime atq; Doctißime Rosetum istud in vernantem Domum Tuam, & recentibus ex Lectißimâ Consorte Tuâ recreatam gaudijs Musarum inferri manibus, atq; vnâ me quoq; Reseti istius Hortulanum Roseâ Tuâ & amanißima beneuolentia excipe. Datum è Contubernio Staringeliano 15 Martij.

Vestræ Clarissimæ & Excell: Dnis

obsequentissimus cliens

Alexañder Luczewski Roxolañus
Primæ Laureæ Candidatus.

GRATITVDO

Excelentissimis ac Doctissimis DD.

EXAMINATORIBVS.

FAuete Musæ. non humilem feram
Vates laborem, prome reconditos
Apollo fontes, & refusum
Nectareis Helicona ripis.
Hinc ô Popelli fulta fauoribus
Procul profani carmina barbiti,
Me sacra poscunt, Laureatæ
Nunc animent mihi plectra Musæ.
Hos fila psallent, qui Cracio imperant
Viri Lycæo, qui IAGELONIDVM
Plantata dextris eruditæ
Serta tenent veneranda plebis
Doctam tonantis vos sobolem Iouis
Miratur orbis: Pegasides quoq́,
Fatale subscripsere sceptrum &
Castalij diadema Regni.
Stupenda quæ olim in finibus Atticis
Orbem regebat, vos sapientiam

Plantatis inter bellicoſas
Sarmatiæ glacialis oras.
Quam noſter axis noſtraq; frigora
Et Martiales iam populi colunt,
Septemq; victrices Trionis
Templa cui poſuere gentes.
Nam qui cruentis Sarmata cædibus,
Deuotus olim vixerat, illius
Slendoris ortu, turbulenti
Deſeruit ſtudium furoris.
Vobis ſacrato vertice Regius
Plaudit Vauellus, Viſtuleæ quoq;
Iocantur vndæ, vos docentes
Turba ſtupet iuuenum colitq;
Vos ſuada verbis melle fluentibus,
Et Tulliani diluuio maris:
Demonſtrat Orbi, Vos diſerta
Ad ſuperas vehit aura ſedes.
Vobis Catones, priſcaq; lumina
Seueriori nata ſcientiæ,
Delubra mentium sacrarunt
Et placidum ſine nube pectus.

Atq;

Atque illa doctæ ſydera Palladis
In literato Sarmatiæ Polo
Longum perennatura, Soles
Vos radio vigili fatentur.
MIYNKOVIANVM quis referet melos?
Quis plena ſacro numine pectora
Cantuſq; dicet? Laureatos
Dum toties parit ille natos.
Et eruditas quis RADIMINSCII
Dotes ſilebit? cui Sophiæ datum
Secretiores in medullas
Ingenio penetraſſe acuto.
Dulces Camænas dulcia Nectaris
Fluenta pandit quando LEPIECCIVS,
Quis melle tanto non liqueſcat?
Nec lepidos ſtupeat lepores?
Sed vota ſiſto. Vos iuuenilibus
Fauete chordis, cætera maximus
Supplebit ardor, hoc tributum
Non precio ſed amore conſtat.
Roſeta vobis noſtra Chelys canit,
Dici Roſetum namq; ſinus poteſt

Nostræ parentis, quæ nouellum
Cumq; rosis peperit Poëtam.

I. V. D. IOANNES ROLINSKI Crac.

Si nasci fuerat decorum Athenis,
Et primis ibi fascijs ligari,
Augustas vbi habet Minerua sedes:
Si puræ magis, & magis salubres
Fontibus vitreis bibuntur vndæ,
Quam dum per varios fluunt canales,
Si mel dulcius efficaciusq;
Gustum recreat ex apum aluecari
Dum desumitur, & magis vetustis
Oblectant violæ recentiores.
Si florum ROSA Sol, odore primo
Vincit balsama cum virens in horto
Interdum rapitur licet tenella,
Nec dum egressa domo venustiori
Et pungentibus ocreata spinis.
Hæc ROLINSCIADES seges Tuarum
Laudum maxima, nam Polona Pallas
Te fouit gremio teneriori,
Vagitusq; Tibi ipse Apollo primos

Forma

Formauit, Gracias tenens Athenas,
Ætatis niueæ labella tandem
Ad Purissima Pegasi fluenta,
Et fontes variæ eruditionis
Admouisse datum, simulq́ue mellis
Aluearia, nectarisq́; dulces
Exsuxisse fauos libens cupîsti.
Quid mirum ingenium Tuum probari,
Et flores animi elegantiores,
Et dotes placuisse rariores,
Cum velut ROSA in hortulo moratis
Quem plantauit amor Tui Parentis,
Et cultissima dextra Gratiarum,
Quas in pectoris intimo recessu,
Felicissimus ille Machaonis
Doctrinâ, sociat modo perenni.
Te Rosam reficit Minerua rore,
Et nunc laureolis Apollo adornat
Ergo vt sis ROSA voueo Poeta,
Vt donesq́ue mihi Rosas memento.

2. V. D. ADAMVS BRYKNER Crac.

ADAME dilectum caput Musis meis,
Iambos tenellos, lacteos, nec Attico
Tinctos lepore, aut Gratiarum fontibus,
Consecro Palladi Tuæ, nam Te mihi
Seueriores vindicant scientiæ,
Nec non Sophorum dulcis illa veritas
Et artium secreta, rerumq́; ordines
Queîs immori beatitatis portio est.
Hæc trita sunt quondam aurei sęcli viris
Arcana, tales gloriam facillimè
Habent labores, instruuntq́; posteros
Spernuntq́; curas, fabulamq́; Scenicam
Mortalium. Sic ille quondam LIPSIO
ALNPECHIVS Magno placens, Domus Tuæ
Decus perenne, quidquid infimum stupet
Vulgus, beatâ mente totum spreuerat.
Sic illud aureum iubar Zamoscanum
VALERIANVS dulce Phæbi corculum
ALNPECHIVS doctissimus, totus Tibi
Dicatus, ô cæli Pharos Vrania
Regina mentium, Iouisque filia,
Quam tu profundi in pectoris recessibus

Abscon-

Absconde, nectar IANIKOWII simul,
Suadamq; dulcem melleosq; riuulos,
Et copiosam Tullij facundiam
Adiunge, & illi in intimâ palatium
Fac mente surgat, ex corollis laureis,
Sic omnibus Cræsis eris beatior.

4. V. D. GEORGIVS SMIAŁECKI.

Virtute maius terra nihil capit,
Vt sole cælum sic homines eâ
Nitent beati; quidquid orbis
Poplitibus veneratur imis
Est vmbra tanti luminis vltima,
Opesq; cunctæ sunt famulæ illius;
Regesque, Principesque, Diuæ
Huic animi monumenta vouent.
Sed Pallas illi iuncta fideliter
Plus lucis addit; nam speciosius
Commune lumen fulget atque,
Pulchrior est adamas in auro
Hæc ambo mentem condecorant Tuam
O mî GREGORI sydera: cultior

In Te

In Te refulget, puriorq;
Cum studio meliore virtus.
Musarum in vlnis natus es aureis
SPERONIANÆ ad limina Palladis,
Tecumque laurus creuit ista
Ingenij decus elegantis.
5. V. D. CHRISTOPHORVS SZVMOWIC.
Parnassi columen, lyræq́, Præses
Dulcis Phœbe, poli solique ocelle
Celsos Pieridum relinque colles
Suaues desere Pegasique fontes,
Et sacræ IAGELONIDVM cohorti
Iungas Te, atq; viris, Senaruique
Docto, (nam vocat ille Te vocamus
Et nos) cinge caput Tui clientis
Lauro, cui Craciæ fauent Camænæ
Cui solenne adamantinos labores,
Noctes peruigiles trucesq; curas
Et tantum Pelagus negotiorum
Et tantam seriem eruditionis
Ante altaria consecrare Phœbi
Anne dum toties Lycæa nostra

Inde-

Indefessus obis, Sophumq; nexus
In certamine publico resoluis
SZVMOVI placuisse adhuc nequisti?
Imo carus es: hoc CINERSCIANA
Donauit Tibi Crisis, illa Crisis
Qua Solis velut ad iubar coruscum,
An proles Aquilæ sumus probamur.
Cuius nidulus est Palæstra pullis
Quos dat Roxolanæ solum Mineruæ.
Dum subsellia scandis altiora
Quæ Tu tam speciosius prehendis
Quod multo prius antequam cupisti
Omnes Te meruisti prædicabant.

6. V. D. ALBERTVS LAKTANSKI.

Seu Te nominibus decorat Lactantius ille
Lactea seu tribuit nomina Suada Tibi
Seu Te Pierides lactarunt vbere casto
Vtra magis præstent? nescio. dico tamen,
Te lactasse ferunt doctas Tua nomina Musas
Quæ Tibi nunc Sophiæ laurea dona ferũt.
Ingenium solers, mores suxisse decoros
Quid mirum? Musæ pignora tanta fouent.

Ac ideo credo præſentes ſumis honores
Muſarum vt natum laurea ſerta notent.

7. V. D. STANISLAVS PAPROCKI.

Tandem Pieridum choros
Intrat PAPROCIVS currite Gratiæ
Et vos currite numina
Quæ Cyrrham colitis ferte roſas STANE-
SILAO & ſpargite lilia,
Et frontis niueæ tempora floribus
Exornate recentibus.
Ille eſt cui roſeis excubat in genis,
Sol mentis verecundia
Ille eſt Cui facili in pectore cygneus
Candor Sceptra animi tenet.
Quos flores capiti quas violas Tuo
Condignas dabo? mens mea
Vix iam noſſe poteſt, ergo Tibi Deæ
Ipſæ Pegaſides ferant
Quas virtus meruit laureolas Tua.

8. V. D. THOMAS ZDVNKIEWIC.

O Maſouitici delicium ſoli
Cui Regale iubar, gemmaq; Patriæ Pri-

Primos obtulit annos
Vrbis Varsauiæ decus.
Quis dilicte THOMA non amet indolem
Mores atq; Tuos, ad Cytharam pari
Non ornabit honore?
Et magni ingenij bona.
In Te quidquid opum prodiga contulit,
Et natura simul sorsq; simul Tua,
Magnum est, indicat istud
Syrenis Patriæ melos.
Sed maiora petis dona scientiæ,
Queîs latè rutiles; sic decuit Tuam
Frontem laurea Phæbi,
Vt gemmam decet annulus.

9. V. D. SIMON WINDICKI.

Natales tribuit claros Tibi Martia tellus,
Mox aluitq; suo docta Minerua sinu.
Cognomen bellasse notat, Martemq; secutũ,
Prælia cum magnis Te instituisse viris.
Vt Vindex fieres iussit natura nouerca
Et Te vindicem docta Sophia iubet.
VINDICKI Vindex fueras sed Victor abibis,

Præmia victoris nomine dignâ refers
Certasti & rigido turbasti pectora bello
Pallidus ex pugnâ corpora languor habet:
Iam meritò fessum lauri viridante sub vmbra
Te natura vocat, Pallas amica; veni
Vindex & Victor longo certamine fessus
Vmbroso Daphnes tegmine conde caput.

10. V.D. PETRVS GRZYBKOVIVS.

Russia Sarmatici cultissima portio regni,
Augusta sedes nobilissimi ingenì!
Nidule Pegasidum, gelidi Parnasse Trionis
Cyrrhamq; vincens, Atticamq; diuitem
Quàm fæcunda Tuo legitur vindemia cælo!
Quàm dulce quidquid in Tuo creuit solo!
Somnia iam valeant priscis cantata Poëtis,
Nectarq; clausum fontibus Pelasgicis.
Non noua res Helicon nobis, totiesq; videmus
Haurire Phæbum ex Roxolana Phocide:
Hanc Tu GRZYBKOVI tãtæ spes magna Pa
Laudē probasti in Critico certamine. (rētis
Nã quid Pallas habet quod nõ resplēdeat ĩ Te
Virtutis ingenì luce candida

Iunxi-

Iunxisti socias augusto in pectore Musas,
Melosq; fundis eloquî suauissimum
Et quoties Cythara pulsas ipsum Orphea vicis,
Apollinisq; filius dici potes.
Ac proin' ipse Tibi vates mea barbita dono,
Tu plura Gratijs canes fauentibus

II. V. D. Nicolaus Iablonski.

Vulgi plausibilis cui placuit via
Fortunæ volucris quiq; fauoribus
Altos captat honores
Maiorum & titulos crepat.
Hunc vmbrę poteris dicere somnium,
Et si quid minus est præpete somnio,
Nam fortuna volente
Fiet ludibrium breui.
Momentanea Tu ne cupias bona
Iablonsci placuit nam Tibi Olympicę,
Statum prendere vitæ
Quo felicius est nihil
Sic Fortuna Tibi non dominabitur,
Ast illi potius Tu dominaberis,

Id ſpondet mihi rara
Virtus ingenij Tui.
Quæ ne fors lateat Calliope Tuo,
Victricem capiti laureolam dedit,
Hoc ſertum Tibi gemmas,
Et baccas feret aureas.

12. V. D, THOMAS GRABISZ.

Vernans Pegaſidum floſcule naſceris,
Et brumæ ſenium vincis & aurea
Tecum Flora redit, cum Charitum agmine,
Cum venuſq; leporibus
Te Pallas proprijs plus oculis amat
Tuq; illam pariter plus oculis amas,
Hoc nexu mutuo ſplendidius nites
O dignum violis caput.
Nam quem dulciſonus non rapit impetus
In labris quoties mellificant Tuis,
Suadę corculum ades; imus & Herculem
Miramur Patriæ nouum.
Stringentem tacitis pectora vinculis,
Mulcentemq; feras ſaxaq; inhoſpita,
O quam Te populo fecit amabilem
Grabiſz docte Academico!

Suadę hæc palma Tuę! cum roseis simul
Virtutum radijs, pulchrius vt tamen
Regina hæc niteat, cinge caput sacrâ
Laurû & Nestor eris mihi.

Ad Venerabilem Dominum

ALEXANDRVM
LVCZEWSKI,
Primæ Laureæ Candidatum,

PETRI GRZYBKOVII
Eiusdem Laureæ Candidati

ODE.

Amice Musis, frater Apollinis
Vates, Vetusto Sanguine Nobilis
Sydusquè gentis Roxolanę
Prime Lepos què Tui Roseti,
Quid dedicabo pro meritis Tibi
Curisquè partis non sine numine?
Testudo nostrorum leuamen
Delitięquè merę laborum.
Superbientis fors ebur Indię?
Vel rura censu diuite splendida
Ostrumuè, Purpurasquè, lanas
Vel Tyrias Arabumuè gazas?

Non

Non hęc rapaci subdita tempori,
Ignara mortis carmina poßumus
Donare; per quę vita Doctis
Spiritus atquè redit Pöetis.
Te Te Napęę, Floraquè sedulò
Puris rigabant manè liquoribus,
Te delicato rore Nymphę
Cynthius, ipsa sibiquè Suada.
Te matre pulchrâ nata venustior
Dodona fausto condita sydere
ZAMOSCIORVM stirpe clara
Melle fouebat Academia.
Te Phębus arcu, Pegasus ingenij
Veloce pennâ, Mercurius Lyrâ
Te luce Pallas mi Luceui
Condecorauit amęniori.
Ergo sub vmbrâ degito laureę
Quâ bicipiti donat ab exedra
Te Apollo LEPIECKI canoris
Seu fidibus, Cytharauè dulcis.